SACER

NILVS,

E SERAPHICI

PARADISI FONTE

Pœnitentum

DIMANANS, HISPALENSEM CONVENTUM, Deiparæ Consolatrici Sacrum, à die 21. vsque ad 24. mensis Nouembris, anni Domini 1687, perlustrans, ostenditur in septem Ostia diuisus, Dum Sacra Tertij Ordinis S. P. N. S. Francisci Bætica,

SANCTI MICHAELIS, GRANATENSISQVE Prouincia, pro Comitijs Prouincialibus in Domino congregata, ad mentium tellurem irrigandam sitientem totidem offert eruditionis christallos; per quatuor matutinos sacræ Doctrinæ fluxus,

ET TRES VESPERTINOS SVBTILIORIS Theosophiæ cursus: Vnde subtilitatum opes haud prohibetur depromere cuilibet Subtilitatum negotiatori, nam, vt ait Isaias c. 23. v. 3. *In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius, & facta est negotiatio gentium.*

D. Michaeli Archángelo, Prouinciæ Patrono, D.

Hispali, apud Ioannem de Tarazona, eiusdem Ciuitatis Typographum. *Anno* D. 1687.

CVNCTOS INTER ALIGEROS SPECIE illuſtriori Cæleſt es, ſublimiorique maieſtate, qui poſtquam lucifer um generoſo animo debellauit, atq́ cum ſuis expulit ab empyreo, nomine decoratur mirifico, quod interpretatum dicitur, *quis vt Deus?* S. Michaeli Archangelo.

NILIAICI fluuij nomine inauratum libellum (Princeps) glorioſiſsime) vt poté qui in ſeptem ſciſſus proponitur oſtia, (quod, & de ſeptem plici Maron teſtatur Virgilius 6. Æneid. ſcribens: *Et ſeptem gemini turbant trepidi oſtia Nili*) ad tuæ propitiationis portum tranſmittit voluntas, veneratio, gratitudo, atq; cenſus Prouinciæ tuæ, innumeris tibi addictiſsimæ titulis. Septē ſimul Capituli noſtri celebriores actus expendimus, ſub totidem oſtijs, per quæ Lymphas eructari ſperamus clariſsimas. Nec refert, ſi horum tres expendantur à Doctis, ſtellarū titulo illuſtres, ſigillorū, & columnarū; irrigando namq; mentes illuminant, inſtar ſtellarū in nocte; ſignantq; ſigillis, additum impediendo erroribus; & tandē fulciunt, tanquam Columnæ, Herculeis vndiq; validiores; inſuperq; nō incōgruit *vndis* iſtis eſſe ſtellatas, vt apparet in Iride; nō ſignatas, nec inſtar Columnarum robuſtas, cum in ſacris eloquijs ſignatum legamus fontem, columnamq; nubis, cuius eſt in aquas reſolui. Hæ igitur ad te, tanquam flumina ad caput, originem vé primā, recurrunt, murmure quodam in nato, & rapido curſu; nefas enim eſſet aliud petere mare, quo rectius exirent; nec nobis licuit aliunde, quam á te, ipſis patrocinium aſciſcere: à quo namq; patrocinium imploraret Prouincia niſi a Patrono? A quo, niſi á tutelari, tutelam? A quo fortitudinem, niſi ab eo, qui fortis in bello fecit victoriam? Accipe ergo obſequium hoc, debitum, & tributum; Accipe quoq; præces, & vota noſtra, quibus ardentiſsimé (verba ſunt Chriſoſth;) *cæleſtis militiæ Princeps Michael rogamus te nunc indigni, vt tuis interceſsionibus munias nos.* Munias, præcamur. Eſto memor noſtri. Vt à nobis faceſſat, (ô vtinā!) inuidentiæ, & odij liuor, honorū turgidæ ſpumæ, & leues vanæ oſtentationis arenæ, vt contra ducē ſuperbiæ ſequamur te nos Principem, & detur ex agni throno nobis corona gloriæ. T.P.B.T.O.S.P.N.S.F.